



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae

Schnorrenberg, Anno

Coloniae, 1740

LXXXV. Contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)

te adulteram denunciare valebat. *Cit. cap. quemadmodum §. fin. de Jurejur.*
Quia accusationis & denuntiationis diversa ratio exigit, cum accusatio ad præ-

nam, denuntiatio ad agendam tendat penitentiam, quam de adulterio denuntiata, sustinere debet.



REGULA LXXXV.

Contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur.

Quæres primo. Quis hujus Regulae sensus?

ꝛ. Contractus quoadea, quæ illorum substantiæ accedunt, à contrahentium voluntate & conventionione dependent, & ita obligant, quo modo inter eos mutuo consensu est conventum. Hinc Contractus jure subsistunt, & obligationem inducunt, quibus de re propria, humano Commercio subjecta, de majori vel minori quantitate aut qualitate, certo eventu, tempore, loco, modo, de aliquo dando vel accipiendo à paciscentibus convenitur. Ratio est: quia quilibet rerum suarum moderator est & arbiter, ac Contractui non reprobatas condiciones, modos, dies, locumque apponere potest, prout contrahentes, qui sibi legem dicunt, fieri voluerint.

Exempla sunt 1^{mo}. in *Can. Eleutherius. 30. caus. 18. q. 2.* Conventio in-

ter Episcopum & fundatricem Ecclesiæ inita quoad oblationes & obventiones in festo ipsius Ecclesiæ præscribitur observanda. 2^{do}. Quamvis depositarius deponenti solum de culpa lata & dolo teneatur, si tamen conventio interveniat, ut depositarius de culpa levi vel levissima, aut etiam de Calu fortuito obligetur, illa servanda est. *Cap. bona fides. 2. de deposit.*

Quæres secundo. Quæ Regulae limitatio?

ꝛ. Dummodo sint dispositiones honestæ & possibiles: quia pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibile de jure, vel de facto nullam obligationem inducit. *Cap. fin. de pact.* unde si Conventum, ne dolus præstetur, non valet, hoc enim bonæ fidei Judicio contrarium est. *L. Contractus. 23 ff. de reg. jur.*